



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 67. Maximilianus Imperii Successor.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

(*) Uxorem habuit Eleonoram Eduar-^{Sæcul. XV.}
 di Lusitanizæ Regis filiam, ex qua tres A.C. 1493.
 filios, filiasque binas susceperat. Ho-
 rum primus Christophorus nomine adhuc
 infans vivis ereptus est.

§. LXVII.

Maximilianus Imperii Successor.

Secundo genitus Cæsaris Filius erat Ma-
 ximilianus, qui Patri suo in imperio
 successerat. Is tertium quoque habebat
 fratrem, nomine Joannem, qui in tene-
 ra ætate decessit. Inter Filias prima erat
 Helena, quæ itidem adhuc infans fati-
 functa est, altera nomine Cunegundis
 Alberto sapienti Bavarizæ Duci nupsit,
 quo mortuo sacræ familiæ institutum pro-
 fessa est. Friderico decedente Maxi-
 milianus trigessimum quintum ætatis annum
 agebat, jam aliquot abhinc annis Roma-
 norum Rex creatus. Hic, cum nun-
 cium accepisset de ingenti clade, quam
 Christianis ex Bernardini de Francipanis
 culpa Turcæ intulerant, ad vindican-
 dam Religionis jacturam cum exercitu
 suo confestim neglecta propriæ necessita-
 tis,

M m 3

(*) Ad confutandas hasce calumnias glo-
 riosissimo Imperatori iniquissime impactas suffi-
 cit vel obiter omnium pene Historicorum an-
 nales evolvere. Vid. Hist. Germ. Burch. Struvii.

Sæcul. XV. tis, rerumque suarum cura advolabat, A.C. 1493. ast cum Turcas inde recessisse intellexeret, ultionem infidelibus inferre distulit; Francipanes tamen in hoc prælio trucidatus incuriæ suæ pœnas dedit.

§. LXVIII.

Pontificis studium Hungaros ad pacem & Hussitas ad Ecclesiam revocandi.

*Bonfin. de-
cad. 5. l. 3.*

*Naucley ib.
p. 106.*

Cromer. l. 30.

*Raynald.
hoc an. n. 6.*

Cum Turcarum victoria Hungaris potissimum funesta esset, Wladislaus eorum Rex acceptam cladem reparare omnibus viribus adlaborabat; quare recentem conduxit militiam, eoque sollicitante Alexander Papa Christi fideles ad amplectenda Regis signa propositis amplissimis indulgentiarum præmiis excitavit, nilque intentatum reliquit, ut præprimis inter Hungariæ Proceres pacem, pristinamque concordiam revocaret: ne vero sacri belli consiliis obstarent civilia eorum diffidia, gravissimas Ecclesiæ pœnas cominatus est illis, qui sacram expeditionem novo bello præpedirent; hanc in rem Legatum destinabat Tranensem Episcopum, cui etiam negotium dedit, ut Pragenses, qui diutius Joannis Hussi erroribus irretiti fuerant, Romanæ Ecclesiæ reconciliare omni studio conaretur. Hac sibi demandata provincia Episcopus